PANTHEON
Lechicorum Numinum
SVPREMVM REGNI TRIBVNAL
SANCTVM & JVSTVM.

Illuſtriſſimis Reverendiſſimis Excellentiſſimis Dominis

JVDICIBVS DEPVTATIS

ERECTUM.

Illuſtriſſimo & Reverendiſſimo Domino,

D. ALEXANDRO ANTONIO

FREDRO

Supremo Regni Secretario
Prælato Cantore Gneſnenſi
Gołąbienſi, Mederecenſi &c. &c. Præpoſito

PRÆSIDENTE.

&

Illuſtriſſimo ac Excellentiſſimo Domino

D. PETRO

in Kczewo

KCZEWSKI

Palatino Mariæburgenſi;
Chrisburgen: Stanisłavovien: Starogarden: Capitaneo,

MARESCHALCO.

A Petricovienſi Scholarum Piarum Collegio
Humili Orationis cultu

ADORATVM & ADORNATVM.

Anno à quo
Venit in Templum ſuum Dominator.
1714 Menſe Martio Die 16

Typis Collegij Varſavienſis Scholarum Piarum

In Avita Insignia

JLLUSTRISSIMI
&
REVERENDISSIMI
DOMINI
PRÆSIDENTIS.



I.

Hostibus in cædes, meritis in præmia velox
Unum semper habet Cæsar utrinq; stylum

II.

Quo sensu, Cælo, Patriæ mens vestra laborat/
Exarat æternis Cornea penna tomis.

III.

Dives Amaltheæ non jactet Græcia cornu
Ex hoc tota suas Patria promit opes.

JLLUSTRISSIMI
&
EXCELLENTISSIMI
DOMINI
MARESCHALCI.



I.

KCZEWSCIA quos terris impressit planta triumphos
Porrecto cælis connotat ungve Levart.

II.

Et cœlo & terris Leopardus porrigit ungves,
Ut Defensorem noscat utrumq; sibi.

III.

Defuerant Leoparde Tuis quæ fortè coronis,
Jlla Mareschalcus scipio Sceptra dedit.

ILLUSTRISSIMI, REVERENDISSIMI, EXCELLENTISSIMI DOMINI.

SIVE Illuſtres Generis Ceras, ſive vivas Virtutum imagines in Vobis notemus, utrumq́;* aris & templis dignũ advertimus. Divos Nominum Majeſtate, & Tribunalitia in orbem Lechicum poteſtate, adæquaſtis, Divorum honores non eſt par excuſare. Non appingat licet ſtylus noſter artifices probitati Veſtræ radios, Meritorum tamen ſplendor, qvo latè fulguratis in terras,

858

magna Vos Numina indicabit. Minora his, quæ agitis, Altaribus elevavit Antiquitas; imo Crimina etiam, impiè devota cœlis intulit, & cremandis orco, thura cremavit; noſtram religionem quis arguat? ſi virtutes aris attollamus, illosq; ſuperum locemus ſanctuariis, qui tot ſudores elocarunt, ut ſuperis integra ſtarent ſanctuaria. Pantheon, quod aperimus, Mariæ jam nomine, & Vobis Numinibus conſecratum, à quo profundiùs coli debeat, quàm à noſtra pietate? Animum ponderate, non quæ damus. Numinum natura, mentes æſtimare, non munera; candor ſolus hîc pretium habet. Majores cùm nobis deſint Hoſtiæ, ſudores litamus. Inter tot luminum fulgores votivã quoq; Cleanthis lampadem appendimus. Folijs Deos ornari ſæpius audijmus: ſervient & noſtra Honoris Veſtri Solennitati.

Ex voto
Devinctiſſimi Veſtris Nominibus
Petricov: Colleg: Schol: Piarum.

TRIBUNAL SANCTUM.

INter veneranda Lechici Areopagi Numina, primã Divæ Virtuti Tuæ Aram ponimus. ILLUSTRISSIME REVERENDISSIME DOMINE, TRIBUNALIS REGNI PRÆSIDENS. Minorem quidem fatemur, quam ut singulas Aboriginum & Meritorum Tuorum Imagines capiat, dedignari tamen illam non potes more Deorum, qui ubi omnia summa qvoq; excesserint, in angustioribus adhuc tabellis, non tantùm non erubescunt, verùm gaudent etiam suam coli majestatem. Humiliores sint Jove licet Colossi, attolli nihilominùs illis non semel ambijt, locatus inter Astra

Hercules, erectas Honori suo non despexit quercus, & siderum ignibus in cælo illustris, votivas non deprecatur in terris faces; major toto Latio Quirinus, Capitolinis post fata patitur, imò petit se arctari ædibus, minùs de Roma meritus, nisi Altaria Romæ mereretur; tanquam Supremis Nominibus non humilis accederet gloria, si infimorum laudes & obsequia non aspernentur. Dignus coronâ radiorum Planetarum Imperator Sol, quod eâdem Principis vultûs serenitate, grossiores plebejorum sentium centones, & molliores patritij floris respiciat Purpuras, æquè clarus sive supra aureos subsistat montes, sive in cænosas descendat valles; eâdem gratitudine applaudentes triumpho suo ex profligatis noctibus rauciores cicadas & argutiores acceptet alaudas, post magnificaq; intra superbam Saturni regiam hospitia, sub rustica Arietis & Capricorni mapalia, aut agrestes Tauri caulas divertere nunquam dedignetur. Non tantum excelsæ lauri, etiam minor

primi veris partus demiſſiores violæ ornant Apollinis Aras, ſæpiùs ad majorum Numinum reverentiam extinctis luminibus, ſerviunt umbræ, ſcabroſæ conchæ debet ſuum Nitorem gemma, artifici maculæ ſuam gratiam facies, ìlleq; undarum Parens & Princeps Oceanus, nullo licet Gange diteſcere, aut Viſtulâ augeri queat, tenuiores non reſpuit rivos, tantò in aquarum regno ſceptro ſublimior, quantò ad minimum etiam profluentem ſinu excipiendum ſuo inclinabilior. Patere & Tu PRÆSIDENS MODESTISSIME, poſt majora Tui Nominis elogia, minores Clientum Tuorum laudes, grandiores ad hanc ſolennitatem cùm deſint nobis victimæ, leviora damus ſolia, quibus arã Honoris Tui coronemus. Decet ejusmodi ſertum Virgines Tuas erga nos gratias, triumphatorq; Tuus Monoceros inter victricium palmarum educatus ſylvas non poteſt Mercurij abhorrere frondes, ſub quibus vel rectefactorum curſu fatigatus reſpiret, vel illuſtrem

 magni-

magnitudinis suæ umbram metiatur. Amat illius cornu acumen, capitur Musarum formâ, nec tantum Hæmum, etiam Parnassum novit incolere, tam ad Gradivi tubas, quàm Orphei tibias salire eruditus. Stylum, tamen nostrum si spectes, nihil illo humiliùs, tantùm iste decrevit, quantum Tu immortalibus crevisti factis; Serpit per terras, Te magnarum alarum Aquilâ, supra orbem evolante; nunquam Tuo dignus conspectu, nisi Te spectandum Tibi exhiberet. Nec informitatem ejus erubescimus, narrare duntaxat, non ornare Tuas virtutes voluimus, non ignari sine colore pulchriores. Comant alij quibus frons in pixide, apud nos ut amor, ita panegyris fucum non admittit. Quoties ergo indignitas Scriptoris delicatissimum Tuum offendet ingenium, ad Teipsum petimus oculos reflecte, considerata Tua magnitudine, grandescet & ille, ponderatis Tuis nunquàm satis æstimandis operibus, gravior dicendi character evadet, nullusq; apex vastis-

simum

simum non excedet volumen, cùm Te loquetur, qui omnia humana. & tantùm non Teipsum, sapientiâ, famâ, & quod istis omnibus rarissimum virtute excessisti. Quid enim agis quòd sibi fastos & Annales non vendicet? egissent alij istis minora. illo inter millenas Religiones irreligioso antiquitatis ævo, dicam potiùs egisses Tu (nisi Te nobis ad hæc usq; tempora addictior servasset fortuna,) & quærerentur effigiando Divino Tuo vultui ultra Pharon marmora, profunderet India gratis aurum, ut ei tantùm prodigia Virtutum Tuarum insculperentur; Spectareris in foro sublimis Colossis Consus, Colereris venerandus pietate in templis Numa; Te naufragia deprecatus in mari Typhis invocaret, Tibi victoriam in bellis Hector commendaret, Tuæ penates viator tutelæ proijceret; starent vacuæ Dijs Aræ; Tuo duntaxat Numine plenæ, pellerentur templis Apollines, ut Tu oracula redderes; præriperent se Tibi delubra, inviderent altaria, nulla ætas

Te pro exemplo non proponeret, disceret levior indoles gravitatem morum, grandæva senectus Consilij prudentiam, confunderes liberalitate avaritiam, sapientiâ ruditatem, submissione fastum, audireris Romæ Juppiter, Athenis Lycurgus, Delpho Cynthius, Te producerent theatra, declamarent exedræ, sonarent æra, Tibi Hostiæ litarentur, thura cremarentur, Circi applauderent, nulla gens & nullibi Te suum Numen non vellet adorare. Non eventilemus venerandos Antecessorum Tuorum Cineres quantumvis & istis pulchriùs noster expoliretur stylus, fracti non tam Annis, quàm obsequijs Patriæ quiescant Augusti Manes, rudioribus non obstrepemus calamis, defixas immortalitatis altaribus eorum non moveamus Icones, debetur hæc Divis Tuis Parentibus à nobis reverentia; Sagum & Togas quas detriverunt non evolvamus, ultra Istrum & Balthidem victrices prolatas Aquilas non insequamur, velociores illæ ad vota Poloniæ fuerunt,

quàm

quàm nostra penna in eorum encomia, arenas, quas calcaverunt, sudores, quos exhauserunt, tentoria sub quibus hyemes integras ardentissimi zelo libertatis durarunt Flaminij, non inquiramus, unum Te Majoribus Tuis Majorem intueamur, & neminẽ ILLVSTRISSIMORVM FREDRORVM terris abijsse, omnes in Te gloriosiùs quam olim supervivere advertemus. Plurimi ut altiùs surgant, Natales Cunas, & Patrum tumbas sibi adstruunt, nullo virtutis propriæ gradu sublimes, Ceris tantum Aboriginum illustres umbræ, postquàm omnem gloriosi Nominis solem obscura vitiorum caligine extinxerunt, ab occasu Majorum ortum illius prospectant, digni Promethei pænâ, famosi lucis alienæ fures. Tu Nobilissimis Prædecessoribus Tuis nihil debes, nisi quod Tibi præiverint, Aurora diei, si tamen præivisse dicendi, in quibus imitatione factorum vixisti; plura illi Tibi debent, ne enim simul morerentur gloriosis operibus effecisti. Descen-

derint quantumvis pridem inter angustias tumuli Augustæ animæ, Te nihilominùs relicto nullibi nobis non occurrunt. Stant unà Tecum ad Aras; non unam meriti aram Infulati Præsules digni singulari Numinum de se cura, quorum singularis fuit cura Numinis honor; quiescunt Curulibus nunquàm à negotijs Patriæ quieti Cives, insignes Purpuris, insigniores Majestatis amore, quæ ne toties bellorum turbine agitata ruisset, ipsi devotæ saluti publicæ victimæ non sine Corona gloriæ, in acie corruerunt: spectantur in Tribunali justissimi Areopagitæ, corrupto hoc sæculo incorrupti Aristidæ, librant adhuc gravissima causarum momenta, nunquā innocentiæ graves ipsorum criminum odium, virtutum amor, quas ut erigerent, vitia depresserunt, noxarum vindices innocentissimi, Superum Assertores, meritò ab injuria fatorum asserendi, Libertatis legum tutores, legibus conscientiæ obstrictissimi. Illorum gloria est, quidquid agis, quid verò gloriosè

non

non agis? ut mutasse tantùm Personam non amisisse videantur; minimè jam de fama solliciti, quam à Te non solum fideliter servari, sed augeri quoq́ʒ ex alto, non sine triumpho è fatis contemplantur. Fuerit multorum encomium ita exhausisse naturam, ut pares sibi non potuisset eniti, nimis præsentis, parùm futuri Nominis memores; in eadem secum urna sui tumularunt memoriam, nullibi visendi à nullo noscendi, Tuis Majoribus maximum esto elogium, talem Te genuisse, ex cujus vultûs charactere in bellis fortitudo, in pace moderatio, inter adversa magnanimitas, inter prospera eorum legatur temperantia. Et hæc demum vera laus & nonnisi Tua, ita Antecessorum jactare titulos, ut deses Meritorum Nepos non jaceat, ita Majorum Ceris inclarescere, ut illarum non infumemus splendorem, ita patritio rubere sanguine, ut degenerem ab illo vitam nunquàm erubescámus. Alias frustra extincta Avorum resuscitatamus Cadavera, nisi No-

ſtrorum animentur ſpiritu operum, nihil præclari de nobis enuntiabunt Orbi, funebrales eorum pyræ ut lucem Succeſſorum Nomini effulgurent ardore Virtutum indigent ſuccendi. Putridum Nomen, quod à tumbis venit, debile gloriæ ædificium, ſupra mortualem Antenatorum arenam, pyrio aut palæſtrico non lethali manum pulvere annorum metiamur Clepſydras, diutiùs fluent; nemo noſtrum vixit alteri, ſuis geſtis ſingulorũ vita pingitur, nec ſperet faſtos qui factis caruit. Vetuſta Inachi domus, ne ſæculorum conſumpta teredine, ſuâ Nepotes ruinâ obruat, novis rectefactorum fulcienda baſibus, fumoſæ Patrum Imagines, ut ſitum & majorem non contrahant fuliginem, vivis filiorum coloribus debent illuminari. Præſtas Tu hæc omnia JLLVSTRISSIME, REVERENDISSIME DOMINE, eò cum majori laude, quod plura immortalium geſtorum relinquas exempla, quàm ab Anteceſſoribus acceperis, daturus ampliora, ſi nulla inveniſſes.

venisses. Non erubescit pro Te Patritius sanguis, non pallent Palatinæ purpuræ, manet Nobilissimæ originis fonti idem penes Te Candor, eâdem reverentiâ; trabeatis fascibus, idem honor, eadem Majestas similis priori, ut Tu illi, hoc solùm difformior quia major, læta quod ei tantus successeris, mæsta quod Tuæ non meruerit ætati interesse. Quæ in Te spectasset Virtutum prodigia? videret ferreo sæculo, virum aureum, inter homines versari, & Numen esse, miraretur honoranda agere, nec honorari velle, popularibus attolli auris, nec sentire, vix crederet, nisi à Te id factum sciret, ad omnia Patriæ munia prodire, & secum manere, colligere ex hac arena amores, ex qua alij odia metunt, & plena gaudio, emeritum Tuum Caput ornaret laureis, illustraret radijs, ambiret Infulis, quæ nec modo deesse Tibi possunt, si tam pronum foret Tibi illis verticem submittere, ut ijs coronare. Magnum id moderationis Tuæ indicium proferre digna Pontifi-

 cijs

cijs fascibus merita, & illorum præmia dignitates non acceptare; (ignosce PRÆSIDENS BENEVOLENTISSIME Tuæ Virtutis partus est hic, quem reijcis) solem esse & lucem fugere, supra omnes humanis plusquam factis eminere, & adhuc se unum ex Nobis cogitare; quis non obstupescat? Intrudebat Tuis manibus jam toties Præsuleos Scipiones honor, sed Tu illas subtraxisti, certarunt de Te Cathedræ, sed Tua modestia vicit, dabat ultrò Tibi nostri ævi Gemmæ Chełmensis Ecclesia annulum, Tu sacra connubia repudiasti, etiam sine his vinculis Romanæ fidei, & Polonæ Majestati obligatissimus; Veniebat ad Te supplex cum Præsuleo murice Leopolis, Tu venientem aversatus, ipso honoris contemptu honorabilior evasisti. Cùm tamen Pontificiam dignitatem aspserneris, mirum quod illius ames officium, adeò, ut Præsul sis munere, licet Præsulem dedigneris agere dignitate; gloriosiùs ratus, animarum quàm fortunæ lucris

inhi

inhiare. Impendis Tu totum Te quærendis ijs, dum ad levandos demitteris conscientiarum casus, ipse humanis altior casibus, dedoces crimina, ignarus criminum, extirpas vitia, ut plantes virtutes, magnus commissi sibi gregis, major suæ vitæ Censor, confundis plurimos qui emendant in se emendanda, docent multos quæ nesciunt, verissima specula, alienas maculas exprobrant, suas non vident. Nec diu Tibi insudandum ut Divini juris observantiam subjectis persuadeas, ipse ejus observantissimus, eunt omnes in partem virtutis, quia Tu priùs abijsti, nemò non gaudet contendere, quò Te videt præcessisse; nulli etiam profligatissimo crimini non placet probitatis Nomen, cujus Divinam speciem pulcherrima in moribus Tuis commendant lineamenta. Efficis itaq; exemplis momento illa, quæ alij integris ætatibus, minis etiam & facundiâ vocatis in suppetias efficere nequiverunt, præstas verò plura quàm debeas, subtrahis tempus Tuis

negotijs, ut Tuorum saluti dones, non ad subditorum necessitatis, sed ad propriæ virtutis & Pastoralis vigilantiæ libram, sudores Tuos & sollicitudinem expendendo. Nemo Te adijt, quin melior rediret, nemo audijt, quin sanctior evaderet, recedimus à Te ut ab ara, puriorem referendo animum, quam attulimus, nec meminit quispiam se Tibi locutum, ut cum magno Numine se egisse non fateretur. Jam benevolentiæ Tuæ quæ in omnes profusio? quis ille torrens gratiarum in Tuis Manibus? nunquàm aridus, semper exundans, audijmus exhauriri flumina, Tuam munificentiam nunquàm; ipsum Ægypti altorem Nilum sitijsse multoties accepimus, Tua liberalitas nemini defuit, nisi priùs illi defuissemus. Patet apertum limen miseris, latiùs tamen pectus, non horror limen obsidet, ipsæ gratiæ, ipsi amores ad ostium excubant, venimus, discedimus, cùm volumus, non prohibet fastus, non arcet Majestatis reverentia, pulsat fores egestas, respondes

beneficiis; occurrunt lachrymæ; præsto Tecum adsunt Solatia, nulla calamitate mobilior quam aliena: Moram quoq; in subveniendo ignoras, postulamus; tribuis, postulare non audemus? obtrudis; nunquam felicior, quam nostra felicitate, nunquam infortunior quàm nostris infortuniis, cumq; multa elargiaris, ut plura elargiri queas (quod Divinum) moneri nos vis ut petamus.

Domi vero Tuæ quæ virtus" domestica? quod vitium non peregrinum? ædes Tuæ probitati sacræ; non mensis luxus accubat, non nitet auro ostentatio, non torpet cubili somnolentia, non inter famulorum turbas insolescit dissolutio; ita istorum admittis obsequia, ut Divina non impedias, amictu gaudes, quali virtus, opes non amas præterquam animi, suppellex non infra authoritatem, sed maior meritorum; sapiunt epulæ, quas condit moderatio; tunc lautissimè Te convivatum arbitratus, cum omnia ad gustum fuerint rationis & conscientiæ, adeoq; clarè patet à Te for-

 tunam

tunam non Te regi à fortuna. Egressos vestibulo Domus Tuæ permitte nos Areopagum Cui præsides ARBITER INTEGERRIME subintrare. Nihil insolens petimus, coronam Reginæ virtutum Tuæ Iustitiæ quam debemus, reddimus. Quod si vilior sit, Tu in causa, qui in tantum rectefactorum crevisti excellentiâ, ut nihil Te ipso majus possit offerri, nisi Tu ipse Tibi offeraris. Nec tamen illã decet rejicere; cum & superis non qui pretiosius munus sed qui puriorem eorum delubris mentem intulerit gratior videatur. Animum tantùm nostrum intuere, nihil illo candidius, quòd si profundius illum scrutari velles, nihil præterquam simillimum Tibi ibidem invenires. Verùm quorsum deviavimus? en ad Tribunal Tuum Citamur. Quanta hæc nostræ Themidis felicitas, visum quem malitiâ criminum amiserat, diligentissimâ Tuæ æquitatis curâ recuperavit. Non offendet jam ad lapidem scandali Tuo judicio oculatissima; non trepidabit ad vitio-

rum assultus Tuo præsidio munitissima evolabit altiùs fama nominis, decretoriâ Tuâ pennâ illam elibrante. Vrna enim suffragiorùm, quam versas, nunquã innocentiæ fatalis extitit, cum sortes non jacias, nisi pro parte æquitatis. Damnamus ad suas tenebras Lycurgos; oderant ij lucem, tanquam virtus non posset inclarescere nisi in umbris. Iustitia Tua soles publicos amat, quid namq́ lateat? quæ orbi Lechico exorta illustrãdo. Plurimi ut perplexos causarum nodos resolverent, diu animo ab illis pendebant cumq́ integras in evolvendis hebdomadas consumerent, necdum consũmabant; Tu illos momento resolvis verus Alexander, etiam tot triumphis vitiorum nobilissimus. Legent hoc sæcula! fuisse virum legibus natum; qui ita tractavit ferrum, ut non offenderet innocentiam; ita lites composuit, ut æternam inter virtutem & scelus litem relinqueret; sententiæ nulli subscripsit, quã cælum non probaret; muneribus nunquã manum porrexit, ardore auri pupil-

lam lædi æquitatis non ignarus. Et decernentur Tibi Sacri Honores, litabũt ingenia laudes, laborabunt imprimendis operibus præla, aderis ſemper in curia præſens, reis flagellum, reatibus horror, innocentiæ Aſylum, æquitati honor, cumq; nullibi fueris, ubiq; eris, obverſaberis oculis ſingulorum, ſingularis morum idæa, de Te primi in conſeſſibus ſermones inſtituentur, dicêris pro levamine oppreſſorum, memoraberis pro ſolatio lachrymarum, intrantibus Iudiciorum Aulam occurres, recedentibus nunquam digniſſimâ Tui memoriâ recedente aſſiſtes, nihilq; in hoc auguſtiſſimo Areopagi ſenatu ſtatuetur, priuſquam Tuæ probatiſſimæ Iuſtitiæ & in ambiguis nunquam ambiguæ Prudentiæ exempla conſulantur. Et hic tantiſper à Te avelli cogimur, ſi tamen avelli poſſumus, quem ubiq; animo circumferimus, patere nihilominus ſaltem calamum avolare, quem æmula Tribunalitiæ Tuæ poteſtatis avocant Nomina, ita de illis ſcribemus, ut Tuæ legantur Virtutes;

quid

quidquid de aliis dicetur, de Te dici existima; cum enim omnium Merita possedisti, à nullius laude excludi debes; Ipsorum encomia, Tua sunto; ex his enim metimur, quantus esse debeas, qui Tantis præsidere & nonnisi rogatùs meruisti.

Abijcite calamos Oratores:
elogia quæ paratis
ILLUSTRISSIMO REVERENDISSIMO
VICE PRÆSIDENTI
PATRITIA Illius elegantiùs scribet *LITERA.* *Familiæ insigne Dębno.*
Una volumen laudum.
Annales quotquot Polonia habet
omnes implevit, omnes excessit:
Periodi nescia:
nisi quam aut hostium vitæ, aut Criminum viæ præfigit.
Triumphalibus saxis insculpta:
Statutis Consiliorum inserta:
Legum tabulis impressa;
ubique legenda; nullibi lugenda.
Character iste virtutis est.
Notat nomina sine nota.
Ne minus valuissent,
Maxima quoque Capita hâc scribi voluerunt. *Ex Episcopo Cracov. Primas Regni.*
JACOBO SIENINSCIO
à Vavello ad Primatiales profecturo Mitras
commendatorias scripsit, & profuit.
Quàm gloriosa Domus vestra contineat opera,
ex Nobili Titulo discimus.
Maiestas Vestibuli magnificentiam loquitur palatii:

Humili fronte excelsæ non resident mentes:
Maiorum fluminum altiores margines.
Palmare quoq; Crucis Insigne
insignis Vestra gloria.
Partiti pro Ecclesia cum Numine bella;
Numen Vobiscum partitur trophæa.
Etiam hæc Vestro Sanguine purpurata:
Ill: Rev: Vice Præs: Infulátus Łasce: sis Salutem portat Lechiæ.
Testem Łascensem Infulam invoco,
quam imples capite, excedis meritis.
Vile pretium Præsulis annulus sine Virtutis gemma;
Pulchrior byssus penes candorem mentis;
Animi quàm auri radiis clariùs fulgurant aræ.
Permitteres sudores Tuos colligere;
darent encomiorum Oceanum.
Nomen Ill: Rev: Dominicus. Frustra Thesaurus Christi fures timet,
Gusmãni canis in *Sieninscio* fideliter pro illo vigilat.
Tot iam Cælo cæpit prædas
ut Cælum vix capiat,
Venator animarum.
Areopagi denique tenebræ
Dominici face illustriores.
Eiulate Crimina!
Patrona vestra iniquitas in agonia;
en mortualis ei cereus porrigitur.
Fallor:
festum diem agit iustitia;
Cuius altaria
Votivis Nominis, & virtutum illustrat ignibus
SIENINSCIUS
Verùm quorsum jam trahimur?
Ex Capitulo Leopol: *Illustrissimi & Reverendissimi Kuczynsciy*
Gentilitiæ Stylum vellicant *Manus.*
Debemus Illis encomia.
Domûs Stemma Ogonczyk: agunt plura quàm debeant:

nun-

nunquam ligatæ nisi libertatis obsequio.
Antiquitatem Generis quæris:
Lineas illarum vide.
Si Gradivus & Minerva iterum nascerentur,
hoc procreari vellent sanguine.
Istis gestata, major crevit Lechia.
Otiosas nemo spectavit,
vel superis aras exstruunt, vel Patriæ theatra.
Suffragium Virtus ab ipsis semper accepit,
Vitium nunquam impetravit.
Nullos Poloniæ casus non levarunt.
Nullibi minus laboravit ambitio:
Sederunt Curulibus, quas sibi fabricarunt.
maximis ornatæ fascibus, majorum capaciores.
Reddita sibi munia tam fideliter,
quàm gloriosè retinuerunt.
Liberalitatem earum expende:
publicum indigentium dices ærarium:
Plures aureos formârunt homines,
quàm Deucalion Saxeos.
Nilum gratiarum credas;
Non una hic naufragata egestas
emersit ditior.
Classica sonant? telo armatæ
hostem feriunt; amorem referunt.
Fractam tamen Sagittam ne stupeas:
Barbarorum pectoribus maior pars hæret.
Non sine annulo; quia non sine fide:
tantum nihilominus pretium
cùm inter Cœlum & terras divisissent
integram servant gloriam.
Dirigunt & nunc cæcam Astræam
In Illustrissimo & Reverendissimo Domino
Boguslao KVCZYNSKI.
Sors magna Justitiæ suas ab illis sortes versari.
Projice Te in eas innocentia,

Stabis firmior:
Nemo hanc dexteram apprehendit,
quin fidem acciperet fortunæ.
Armis aſſveta,
etiam nunc Tullio porrigit
Gentilitios Siemiracciorum Enſes.
Domus hæc Martis;
in caſtris nata, in caſtris adulta:
tam cunas ei quàm tumbas ſternit Bellona:
Prælia quæ incæpit, victoriis terminavit:
Soles quos vidit, illuſtravit triumphis:
Ferro vivit tota Aurea.
Vaginam illius Mucro non novit,
vel in throni vel in legum tutelam
ſemper vibratus;
tunc reconditur cum hoſtes condit.
Percuſſa iſto Chalybe Rhodope,
dedit Patriæ lucem gloriæ.
Capitolia tot erexit, quot barbarorum capita truncavit;
dignus altaribus altarium vindicator.
Turcarum fixus pectoribus
primo illis corda, poſtea ademit vitam:
timendus maximè, quòd minimè timeret.
Fulgore extinxit orientem
Maurorum fulgur.
Lunæ amicus ſed Domeſticæ;
Nihil ei commune cum illa, præter lumen.
Noctes diem ipſi accendunt,
inter iſtas vigilat, ut hoſtes ſopiat.
Nodos etiam Cauſarum reſolvit dexterrimè.
in dubiis nunquam dubius:
incertum relinquit,
acutiorne ſit in ſuccidendis Collis, an decidendis litibus.
Videt id in Te orbis
Illuſtriſſime Reverendiſſime Domine.
Quoties Juſtitiæ voluerit Poſteritas Imaginem,
ex Lu-

Ex Capitulo Cracovienſi Ill: Re: Ludovic: Siemiracki.

Avita Arma Białynia

ex Ludovico pingetur.
Nulla virtus Patronum, nullum crimen Judicem
Te non experitur.
Aliam non daret Numen ſententiam.
æquè mitis ac metuendus;
tam Clementiæ in reos, quàm Juſtitiæ in reatus,
Veſtigia Judiciariæ arenæ imprimis.
Verus Areopagita:
Sine oculis, ſine manibus
non ſine lumine; non ſine palmis.
Avitum Tuum ſidus ut non laborat reſpectu,
ita iuvari ære non indiget.
Placent pretia ſed famæ.
auri ſonitu non ignarus obtundi aures æquitatis.
Tandem in laudum Tuarum portu
Illuſtriſſimorum Łabęcciorum *Ex Capitulo Cracov: Ill: Rev: Michael Łabęcki.*
Triumphalis nobis occurrit Argo.
Diis Sacra Deos vehit.
Una in malorum ſalo Poloniæ ſalus.
Non regitur, & non errat.
nata ſervandæ publicæ Vitæ; natat inter mortes. *Patritium decus Korab*
Quòd magis mireris!
Maximis motibus immota,
Nullâ regni fluctuat tempeſtate:
fide Regum, amore legum obfirmata.
ſine velis, ſine remis, velociſſima
navigat ad Patriæ vota.
Balthidem, Tyram, Boryſthenem, emenſa.
ubiq; Lechiæ quietem quærit, nullibi quieſcit.
Pyratas tamen Scythas experta:
Stitit, curſum ut illorum ſiſteret excurſionem.
Quocunque appulit, coronam invenit,
Coronidem operum nullibi.
Pavorem Podoliæ Coſacos, impavida fugavit,
& illis lupis viros Leones obiecit,
Sæpius merſa, nunquam naufraga.

 marginē

marginem vitæ hoſtium, pro littore prehendit.
Redimijt illam Cracus Ducibus Mitris,
& pro antennis Præſuleas donavit tænias.
Quid portet, ne quæras:
aut marmora, aut Heroas marmoreos,
qui vulnera non ſentiunt niſi Patriæ,
Vtrumq; triumphale.
Si Phidias Alexandrum ſculperet,
hunc lapidem eligeret.
Ad iſtud ſaxum toties offenſa Moſchovia,
ſemper pedem retulit.
Tot DOMI TUÆ Coloſſi
Illuſtriſſime Reverendiſſime Domine,
Sed Tu ipſis altior.
Hæres Sanguinis; verior virtutum.
Marmora Tibi domeſtica,
& imprimenda illis trophæa.
Auguſtam inveniſti Familiam,
meritis feciſti ampliorem.
Tantos Anteceſſores Tuos quis fuiſſe crederet?
niſi Tu fidem omnibus adſtrueres.
Nominis, & Themidis armatus mucrone
Utrumq; dum pro Juſtitia ſtringis,
Cælum, Poloniam, Poſteritatem Tibi obſtrinxiſti.
Provehere in altum Honorum
Nobiliſſima Centaurus!
en vicinum *Wyſocciorum* prælucet ſidus.
Genus nullum hoc illuſtrius:
radiat titulis, clariùs factis:
Aſtra ornat, aſtris ornatur.
Vetuſtatem deſideras?
Sidera coæva numerat.
iſta deſint;
Orbi ſufficiet illuſtrando.
Debent illi
Majeſtas Joves, Curia Mercurios, Caſtra Martes

Ex Cápit: Vladisl: Ill: R: Franc: Wyſocki.

Stemma Leliwa.

in unâ stella tot Planetæ.
Omnes fixi; omnes mobiles,
Sive fata impetant, sive Lechia subsidium petat.
Casus ignorant, nisi hostium)
vix isti concurrunt; illi discurrunt.
Trhono Colligati, libertati serviunt. In Serenifs. Sobiesciorũ Nomine
Lunam adhuc vide:
nemo hanc vidit mutabilem;
Pallet tamen & rubet;
Curarum Patriæ & vindictæ barbarorum
isti colores.
Consanguineos nisi soles non admittit.
Stationem frequentiùs nullibi habet,
quàm in domo Martis; vel Mercurii.
Vndas amat, undantes animos odit.
Quot fortes tibi occurrent,
Ad illorum natalem hoc astrum concurrisse cogita.
Credimus aquas ab ipsa moveri;
Istri fluctus sæpius vertit retrò.
Ne Justitia ad petram scandali offenderet,
Tuo sidere petiit illuminari:
Illustrißime Reverendißime Domine.
Paveant hunc radium Criminum noctuæ.
Aquila Polona illo obtutum pascit.
Non accendimus Cleanthis lucernas;
Domesticis astris satis es clarus:
Quod Tua aurea probitas,
Cremenecensis probat Lydius.
Pulchrum id in Te
Nec Virtutibus Tuis Infulæ, nec Infulis desunt virtutes. Infulatus Cremenec:
Vitiorum horror, meritorum honor;
illorum fastidio, istorum fastigia meritus:
deformitatem aliorum vitæ, difformitate Tuæ corrigis.
Sonat clarè Ecclesiæ fides,
quam Tu harmoniâ morum instruis.
Efficacior hæc Orphei lyrâ

en ad ejus mentionem
Soleata STRZESZEWSCIORVM nomina
paginam insiliunt.

Ex Capit: Płocen: Ill: Rev: Adal: Strzeßewski.

Ita Gradivi amant incedere:
Gemmis digni, ferro contenti
laurum quærunt non aurum:

Stemma Lubicz.

tam in fortunæ glacie, quàm in Bellonæ acie
Non horrent lubricum, Asiæ horrores.
Contritam isto Chalybe Rhodopen
pænituit insolentiæ:
fudit lachrymas & Sanguinem.
Ubicunque stetit:
lætissima victoriæ, latissima gloriæ reliquit Vestigia:
Percussit Hæmum?
Semper Patriæ solatii scaturiit torrens.
Descendit in consilii arenam?
rosæ floruerunt, sine rubore, sine spinis.
Nec poliri amat nisi Scythiæ Cineribus.
Artificem ejus vis nosse?
Mars illam fabricavit.
Ascensurus Capitolium; hâc animum obfirmat;
toties belli successu solatus Poloniam,
quoties ita processit soleatus.
Nemini præterquam levitati hostium gravis
istam deterit, nunquam deterior, nunquam detrita.
Metam illi nullam præfixeris;
ultra orbis limites excurrit; limitem non reperit.
Cespitare nescia,
tegit barbaros cespite, dum terit.
Quàm celer sit; consule;
Illustrissimum Reverendissimum
ADALBERTVM STRZESZEWSKI
Virtutis nulla est via quam non calcaret.
Płocensis Capituli Cancellarius
pennam tractat absq; famæ pæna.
Cathedræ oraculum:

ut

ut Eccleſiæ fundet ſecuritatem, fundit conſilia.
Judex Tribunalis
ab omni reſpectu alienus
oculatiſſimus Iuſtitiæ Cuſtos.
Aram æquitatis ut Numinis accedit
mundis à Gangis limo manibus.
Certa iam triumphi Themis
cui ſoleam in arcum flectis:
Avitæ Cruces
Illuſtriſſimi Reverendiſſimi
HYACINTHI GĄSOWSKI
trophæa erigunt.
Salutis id ſignum
contra Patrias duellat mortes,
Quoties illo frontem; vel pectus
munijt Gradivus;
Tartarus toties terga vertit.
Nullas Mæothis exhalavit Nubes,
quas non fugaret.
Templis Altaria, Caſtris ornat vexilla.
ubiq; adoranda:
Sive illi corda, ſive colla ſternantur.
Falces ei annexæ
Parcarum ſunt arma.
Illis edomitis hæc pro manubiis relicta.
Nec manus vacua:
ferro gravis, caſus levat Poloniæ.
Tot laureas nexuit
quot bella diſſolvit.
Sive hoſtibus fata ſive Patriæ vitam diſpenſat
Semper liberaliſſima.
Antidota quæ propinavit,
ægro Reipublicæ corpori profuerunt.
Venam incidit Turciæ?
deſijt inſana furere.
Midæ dexteram crede;
ferrea ſæcula reddit aurea.

Ex Capitulo Luceor. Ill. Rev: Hyacint: Gąſowſki.

Cala

Calamum quoque tractare docta:
Scribit Nomina, profcribit Crimina.
Ignofce, nullas Tibi laudes concinnamus:
Illuftriffime Reverendiffime Domine;
qui elogia Tua voluerit legere
Opera Tuæ manûs videat.
Oratoris luminibus non indiget Virtutum fplendor:
Probitas cùm prædicanda agat, erubefcit prædicari.
Vnicuiq; fua facta faftos fcribunt.
Dives meritorum animus non mendicat encomia:
Digreffos itaque Domûs Tuæ Atriis,
Illuftriffimi Reverendiffimi Domini.
Ex Capitulo Premif. Ill. R. Hier: Iałowicki.
HIERONYMI JAŁOWICKI
Triumphalis invitat Porta.
Hàc terras ingreffi Heroes,
aut Martes, aut Confi,
lauros plantant, oleas decerpunt.
Dùm fines propugnant Poloniæ; fines gloriæ nefciunt.
Domi propugnaculum habent,
ex hoc vix advertunt hoftes; divertunt.
Limites prætergreffa barbaries,
in ifto limine fato torpens hæfit.
Commune id Præfidium
quos recipit, dimittit audaciores.
Saxa exftruendæ non quæfita,
Cæforum Scytharum offa hanc molem componunt.
Nunquam aperta,
quin Afiá peteret indulgentiam.
Ad templum honoris hac iter,
patet oftium, fi virtus pateat:
Cruci Sacra
Criminibus nunquàm præbuit aditum:
Aftræa quoque hic fecurior,
Cujus fidelem geris Cuftodiam.
Deputatus Judex Tribunal: aliquoties.
Illuftrißime Reverendißime Domine.
Sæpius libram fuam Tibi commifit
ab iniu-

ab iniuria semper libera.
Certa valoris innocentiæ,
Cuius prima apud Te novit pretia.
Affabilis omnibus, præterquam vitiis.
Largus gratiarum, parcus irarum.
Beneficia spargis, affectus colligis.
Tu causam virtutis,
Honoris Tui Virtus Causam agit.
Procedes ad Infulas,
qui tantùm processisti meritis,
Dabit suffragium probitas,
Cui Tua vota non subtrahis:
Petêris ad purpuras Candidatus,
qui non erubescenda pro Candore Patriæ præstas.
Quid tamen moramur?
proximus JAŁOVICCIORUM Portæ
Nobilissimus HOSIORUM Pes: *Ex Capit: Cum: Ill: Rev. Stan: Hosius.*
obviam illi prodeundum.
Date Romanæ Aquilæ pennas,
Magnorum Patrum, Cardinalium, Præsulum, *Stemma Pes humanus.*
Scribimus merita.
Quanta egerint; nemò quærat;
implerunt Orbem Nominibus, gestis excesserunt.
Cathedras, Curules, comportate,
Surget amplissimum gloriæ theatrum.
Testimoniis non indigent:
Pontifices, Cæsares, Reges, dum Eos audiunt,
clarissimè pro Eorum perorant memoria.
Calamos in proscribendis erroribus attritos cõgregate,
ultra Cælos evolabunt.
Hæreseos Fulmina, Religionis lumina,
Majestatum Columina, zelo, prudentiâ, dexteritate
tonuerunt, fulgurarunt, succollarunt.
Vidit illos CAROL: V. & Latio Viros invidit.
Ex FERDINANDO
dum pacem Ecclesiæ propugnant, triumphant.

Semper vigiles, ut Fidei quiesceret pupilla.
Steterunt in Vaticano, & Schismatum consedit furor.
Audivit Mercurios Roma, Galeros concessit:
Experta Protectores, donavit Pallium.
Concilia rexerunt, in nullo corrigendi:
Moverunt Purpuratorum Rotam, citra errorem.
Submisit illis & Lechia fasces:
acceperunt Infulas, reddiderunt merita.
Varmiæ Pastores;
dispulerunt lupos, congregarunt oves:
amputata ab Illis Criminum capita; meliùs senserunt.
Tantis Nominibus succedis
Illustrissime Reverendissime Domine.
Ad eorum mensurã, Tuam expendimus magnitudinẽ.
Sublimis Antecessorum meritis, sublimior Tuis.
Celsissimi Ducis Severiæ Causarum Auditor
Sapientiorem Curiam effecisti.
Nullæ Vmbræ Tui lumen ingenii effugiunt,
Quæ dictas, cæli subscribunt;
quæ scribis, approbant.
Principis Personam, Principem virtutem refers
utrique simillimus.
Splendor Poloniæ; exteros soles quæsiisti,
reliquisti majorem Claritatem; quám acceperis.
Non sufficit tibi Patria gleba,
ex tot terris legisti gloriæ messem.
Obæratus Honor dabit Mitras;
tanta pretia non decet sepeliri:
Sol angulos non amat:
Aquilæ in alto nidificant.
Expendit multa in Aborigines dignitas
Sed non omnia,
Sub Petri clavibus, & Virtuti Tuæ servat præmia.
Numam Religio agnoscit; debet Capitolia.
Præsulum obis munia, sedebis inter Præsules.
Ligandum Caput tæniis, quod laborat pro Ecclesia,
Merito-

Meritorum pondus Pontificii Scipiones fulcient.
Sed quis Tuum assequatur Calcaneum?
montes excedit & mentes.
Penna illuc non evolat: ubi stetisti.
Aventino sublimis, minaris ingenio casum.
In planiorem itaq; ZERZYNSCIORVM descendimus (arenã.
Campus hic, Martis cultus gladio,
Sementem non admittit præter ferream.
Rigatur pluviâ sed cruentâ.
Spem Patriæ nunquam elusit, hostibus semper illusit
Reddit plura, quàm accepit.
Fæcundus virtutum, sterilis vitiorum:
Mortibus satus, vitam progerminat,
æquè frugifer,
Sive hostibus taxos, sive Lechiæ profert palmas.
Nullis collibus tumet, nisi meritorum.
Declivis in Thraciæ fata:
inevitabilis Scytharum tumulus.
Clypeo quoque augusta *Domus.*
Ecclesiam, Maiestatem, Poloniam,
Uno tres
Ornat, protegit, defendit.
Ancile dignum aris:
Servatum, Patriam servat:
Cælo demissum, tutelam Cœli non dimittit.
Persei scutum crede:
quot illud hostes viderunt, in lapidem obriguerunt.
Nomina Heroum insculpta gerit, & facta.
Minervæ hæc Parma.
Æthera pulsent Titanes, istam Juppiter rapiet.
obiecta telis, Gigantes deijciet.
Nec Astræa Criminum sentit jacula
Tuo protecta *Vmbone*
Illustrissime Reverendissime Domine,
Sub hoc obtentu secura æquitas.
Notârunt illum merita, notabit & fortuna.

Ex Capitul: Chelmens: Ill: Reve: Nicol: Zerzynski.

Stemma Ianina.

 cui

890

cui pennam subministrat
PATRITIVS KARSNICCIORVM ACCIPITER:
Ferrum levat, ferro levatur.
Vestigia quæ terris virtus impressit,
ille cælis coronanda offert.
Ales rapacissima, sed hostium,
istorum cadavere vivit, ipsa Lechiæ vita:
tunc non absq; fame cum absq; fama,
Infesta Scythiæ Harpijs, ut illæ nostræ Aquilæ,
Prædatrices volucres prædatur.
Sono ferri hostes prodit, & perdit;
Illa tam Cassibus quàm casibus invicta.
Nidum Palmæ & Lauri ei sternunt.
super istas quiescit, de istis sollicita.
Captiva & libera
Patriæ servit; in barbaros sævit.
Solem amat, Orientem odit,
Cave Tibi Turcia;
quas Compedes vides, Tuo furori servat.
Antidotum Poloniæ;
excusso alis Martis pulvere, sedat timorum febres.
Pro Cruce vigil, Crux vitiorum;
huic annos impendit; ut illis adimat.
Non credes? dabit testimonium
Illustrissimus Reverendissimus Dominus
ANDREAS KARSNICKI
Vir Cujus tutelâ vires resumit probitas.
Aras ornat, aris dignus.
In hoc morũ speculo videtEcclesia mendas & emẽdat.
Dum exempla serit, Divorum honorem asserit.
Orator pro Numinis Domo
disertus facundiâ, disertior factis.
cum supra neminem Virtute non emineat
modestiâ infra omnes demissus.
tantùm lenis probitati, quantùm sceleribus acer.
ubique radios meritus,

Ex Capit: Kijov: Ill: R. Andr: Karsnicki.

Plinius

Sol

Sol virtutum: vitiorum fulgur.
Debetur tantis operibus corona.
redimiendis Polonia; Religio, Aſtræa contribuent,
en illàm Tibi Symboliſat in ſuo circulo
AVITVS ZŁOTNICCIORVM PRAWDZIC.
Sphæra hæc Deos tantùm capit; Ex Capit: Camen: Ill R: Nicol: Złotnicki.
Martes, Mercurios, Apollines ſi quæras, in illa invenies.
Aſtræa qũoq; terris profuga, huc ſe recipit.
Vacuum ne credas orbem
Nominibus & meritis implerunt iſtum Prawdzicii
Sub tali ſigno nata Domus
omnes ætates, fæcundas æſtates numerat;
Nunquam ſine virtutum meſſe.
Quoties tamen exarſit Mæothis, ſemper exaruit.
Terret ignibus non terretur.
Amicus flammis quas Martius accendit ſilex.
Tanta Generis pretia;
in tam firmo decet ſervari propugnaculo.
Quantũ veſtra aurea valeant Nomina, ex Te colligimus
Illuſtriſſime Reverendiſſime Domine.
Familiæ valorem auges meritis:
Dives nomine, ditior rectefactis.
æquè in templo, ac in Areopago juſtus
utrique diviſus obſequio, integer conſcientiâ.
Gentilitio præſidio, ſolas virtutes recipis.
Verus Nicolaus;
Aureis exemplis, redimis damna Innocentiæ.
Profundis ſudores, ut extinguas vitia;
Totus in parte æquitatis.
Ingrata ſit Patria,
Niſi tanta inſulis coronet merita.
Metam encomiis ZŁOTNICCIORUM daret circulus
ni importuna mors pro ſcopo ſaxum parentale
Da lachrymas Curia? (obtruderet
Parva petit qui magna præſtitit.
Illuſtriſſimus Reverendiſſimus Dominus

STANISLAUS KOSTKA GŁOSKOWSKI
Archidiaconus Posnaniensis
S.R.M. Secretarius
ad Tribunal Regni
JUDEX DEPUTATUS;
qui ne ullam præteriret, supremã quoq; legẽ implevit.
Vir Religioni & Patriæ natus
Annos omnes utrique, sibi nullos vixit;
Obivit Regni munia ad obitum.
Innocentiæ Tutelaris
cujus dum vitam quærit, suam mortem invenit.
Heu nimis ingluviosa fata estis!
etiam Kostkæ non pepercistis
Gemmamq; à tot Præsulum Mitris ambitam
ut sorberetis, in pulverem detrivistis.
Metire orbis
Tanti Magnitudinem sideris ex umbra
ut lucente nemo non plausit,
ita occidente nemo non plangit.
Templa Numam, Curia Lycurgum, Polonia Civem
unâ pupillâ, unicum omnium Jubar deplorant.
Januarius primus anni mensis
illi ultimus extitit,
Judicemq; ad supremum Tribunal citavit,
Discite Areopagitæ!
ita ferre sententias tanquam ultimam audituri
Vos vero parentalia silete æra
etiã sub hoc marmore Nomine & factis vocalissimq auditur
G Ł O S K O W S K I.

POst lustrata tot nobilissimarum Familiarum Atria, Augustum Domus Tuæ limen iterum supplex adit oratio ILLUSTRISSIME REVE-

REN-

RENDISSIME DOMINE Tribunalis Regni PRÆSIDENS. Multa ibi vidimus, plura oculos tantæ lucis incapaces, & breviorem illorum amplitudine memoriam effugerunt: offerebantur nobis Patritiis nonnullorum Literis plena meritorum inscripta Volumina; obviabant frequenter triumphales currus & super eos sublimes in manibus victoriæ Cruces; spectavimus alios hostilibus incumbentes gladiis, casu suo barbarorum opprimere superbiam; aliorum abrepti famâ sub concavo Lunæ erravimus; occurrebat sæpiùs mæsta vultu sine viribus, sine armis, tumulis suorum prostrata Thracia, & ad lachrymas illius subrisimus; multorum palmare secuti Vestigium jã per Hæmum, & Rhodopen jam per Vaticanum & Vavellum nos ferri stupuimus, plurimorum Gentilitiis recepti classibus, Istro, Balthidi, Euxino innatavimus, nihil tamen advertimus quod Vetustissima Domus Tua non contineat, adeò ut si vel temporum malitiâ, vel

numinum irâ, ſingularum virtutum imagines interirent, ex Tuis Domeſticis abſolutiſſiſsimè formari poſſent, ne illarū orbis exemplo orbaretur. Deſumerent ex Avitæ Tuæ dexteritatis prototypo magnanimitatis lineamenta Heroes; ex amoris Patriæ effigie non fucatum ſinceritatis colorem Cives; ex incorruptæ æquitatis Vultu, veriſsimas, Juſtitiæ Icones Areopagitæ; & rediret ad majeſtates fidelitas, vigilaret ſub tentorijs animoſitas; præſideret in Tribunalibus legum obſervantia. Servent proinde Te nobis ſuperi; dicam, melius ſervent Te ſibi, qui illorum ſervando honori natus videris, nihil enim agis quod eorum tutelam non loquatur. Imple Capite Infulas, qui maximorum Pontificum impleviſti merita; æſtuas ardentiſsimo Religionis zelo, inumbrabunt emeritiſſimam frontem Purpuratorum Galeri; radiabis proximus ſolijs vicinitate honorum; à quo umbram Protectionis expectans; ſine umbra ſoles Tibi precatur

minima

Scholarum Piarum Religio.

TRIBUNAL JUSTUM

QVantùm Majestatis amplissimus hic Judiciorum Senatus, legum Sacrarium reverentiæ, reorum insolentia æquitatis, orbitas innocentiæ protectionis à Tuo Honore acceperint, tota non capit Lechia, ponderandis suis Astræa non sufficit solatiis, nostra tantùm à longè miratur submissio ILLVSTRISSIME EXCELLENTISSIME DOMINE TRIBVNALIS MARESCHALCE. Succedis magno illi Polonæ Libertatis Scipioni, non minus inter tot motus & metus nutantis Curiæ fulcrum; tantò cum ampliore utriusq; Vestrùm gloria, quòd purpurâ, meritis, rerum prudentiâ vobis pares, & Ille Tibi præcedere, &

Tu illi occulto Numinum suffragio, publico nostrûm commodo, succedere meruisti. Ambo tutandis legibus nati, cum æquali Marte pro Justitiæ palma certetis neuter alteri cedit palmā gloriæ, Ille dum Gentilitiâ Sagittâ Themidis armavit manum, exarmavit crimina; Tu dum Areopagi custodiæ Leopardū destinas, accessum iniquitati prohibes, nemini verendus præterquam flagitiis quæ ideò graviùs timent; quia quid esset timor Dei nesciverunt. Immortales superis debemus gratias, talem enim Te nobis donârunt, qualem secundum habere desperamus, non quòd ante Te digni non fuerint, aut post Te darì non possint; sed quòd Tu ita omnium exhauseris gloriam, ut qui Te præcesserunt, Tu fuisse videaris, ita omnium compendiasti virtutes, ut quì succedent, Tu ipse redire putaberis, idem semper & alius, eadem virtute, alio vultu, magnus Sanguine, major meritorum prosapiâ, laudandus quòd tanta agas, laudabilior quod agi ea à Te non sen-

tias

tias; adeò ut quidquid in aliis gratiæ, aut prudentiæ nobis occurret, Tua esse, jam nos illa vidisse, aut saltem à Te accepta arbitrabimur. Necdum annū implevisti mensibus, & jam illa exhibuisti, quibus connotandis sæcula, legendis ætates non sufficiant. Alij viarum incommoda, integris edormiunt hebdomadis, Tu simul Vrbem & curiam ingressus totum negotijs publicis Te impendisti; non levatis ab itinere Viribus, levandis miserorum causis omnes vires, hoc ipso sublimior, submisisti, primas Justitiæ curas salutasti, & quomodo valerent, diligentius quæsiisti; oblitus Tui, nostri memoriâ, gloriosus famâ, quam de Te accepimus, gloriosior factis quæ usurpamus; in hoc solùm illi correspondere non videris, quòd plura præstes quàm illa nobis de Te vulgaverat. Audivimus namq; non uni Criminum Te posuisse tumulos, tot virtutibus erexisse Colossos sed tantùm audijmus, nuntiabatur nobis consiliis Tuis inniti sceptra, sapientiæ unionibus

898 ornari Coronas; sed tantum nuntiabatur, eò cum graviori dolore, quò avidiùs quæ de Te referebantur usurpare optabamus. Coronavit tandem vota nostra dies ille, quo Te supremum causarum Arbitrum salutavimus. Nullus nobis eo serenior exortus, non erubuit Tuam ambitionem, hanc enim præterquam virtutis nemo in Te vidit, non illachrymatus indignitati meritorum, intulisti plura, quam expectare potuimus aut alij tantum polliceri, totus amotis nubium velis purissimo illo cœli oculo Te unum ad honorem notare, Te avidissime prospectare videbatur. Ipsa Curia litium arena, quàm tunc à litibus aliena, non discurrebant tumultus, non obstrepebant discordiæ, non linguarum, non animorum duella spectabantur; omnia ad pacem composita, tam longè à turba, quàm Tu à maximo rerum turbine ambitu: ut superos ipsos illi electioni præsentes crederemus præfuisse. Nemo audebat certare, quia nemo vincere exoptabat, itum

con-

concordibus in Te suffragiis, in quo nulla virtutis & honoris unquam dissensio cernebatur; conferebant singuli dignitatem, majorem à Te accepturi, ubi supra illos emineres. Quanta verò Tua modestia in excusandis fascibus? quæ animi demissio in suscipiendis? quàm diu certavimus Tecum, quàm tarde vicimus? dicebaris ubiq; Mareschalcus; dubitabas tamen an de Te id diceretur, adeo ut cum merita Tua Honori fidem apud omnes facerent, apud Te solum illam non inveniebant. Plures ut regendo legum admoverentur sceptro, nullum lapidem non moverunt: ascensuri ejusmodi fastigium, straverunt sibi aureos gradus; prehensuri scipionem, captarunt affectus; jam argenteas adstruebant rotas digni Ixionis rotâ; quô alios præcurrerent, jam pretiosis vehebantur leonibus in hoc libertatis Polonæ Capitolio triumphaturi; superbi Gigantes Dalmatiæ aut Hesperiæ montibus cœlum Astrææ expugnabant ipsi nec terras meriti; influ-

ebant plenis Gangibus hanc urbem, non sine naufragio sui nominis, Justitiæ ferrum fuluâ arenâ mercaturi injusti æstimatores, spargebant aureum pulverem & excæcabant æquitatem; moderandam sibi vendicabant causarum libram ipsi grave suæ conscientiæ pondus; tumidi Pactoli & phalerni procellis Serenitatem Honoris expectabant. Aliâ Tu Procerum Gloriosissime supremum regiminis in Areopago Culmen adijsti viâ; non æreis vectus sonipedibus, non petijsti à Gryphibus aut Aquilis pennas ut evolares, non per Arabiæ eluctatus colles stetisti in summo; præmisisti merita, venit dignitas, fortunæ nihil debes, multa probitati; illa dedit suffragium magno sibi Te futurum suffragio pollicita, illa Te supra omnes extulit, quam Tu prius Majestate Tui nominis extulisti. Major jam in Tuis manibus Tribunalitius scipio, crevit à Tua, sacrario legum reverentia, ipsa tantùm iniquitas minor, ipsa decrescunt crimina quibus dũ

resecas capita, nova virtuti erigis capitolia. Nulli tam implicati causarũ nexus quos non explices, mirandus in hoc quod resolvas facillimè, magis tamen quòd nunquam ambiguus hæreas utrũ possis resolvere. Miserorum negotia semper à Tribunali Tuo redeunt feliciora; hæc ut vindices, nullos labores non vincis; protrahis in seras noctes judicia, ut acceleres solatia, profundis sudores, & sentiunt se refocillatos justitiam sitientes; dignus ætatibus quòd ætati non parcas, in hoc tantùm intentus ut infirma melius valeat innocentia. Illa tibi cordi causa, quam non auri pretium, non sanguinis nobilitas, non formæ venustas sed æquitas, sed amor legum, sed conscientia commendarunt. Removes ab oculis Astreæ aureas cortinas, & cæcitatis infamiam, quam à tot sæculis contraxerat aboles, optimè persvasus, Gangetico pulvere hebetari visum Justitiæ, & illius ferrum ubi in pretiosos impingit lapides scintillare odio probitatis. Heu quam multoties

*ex Pannoniæ montibus præcipitata col-
lùm fregit innocentia, ab argentearum
volucrum lacerata unguibus integritas
quot vulnera & cicatrices retulit? pe-
cuniarijs implexa rotis æquitas sæpius
supplicio fuit conscientiæ. Tu cum mu-
nificentiam ames, munera respuis id tan-
tùm Tuum ratus quod donas; nec cu-
ras quantùm posteris de divitiis, sed quã-
tùm de fama & incorruptissimis exẽ-
plis relinquas; hæc sola pretia non i-
gnarus à Cælo & terris æstimari.
Odisti venale Patriæ obsequium, gra-
tis Te obeundis impendis negotiis, lu-
cra præter Nominis non quærendo.
Primam curiæ reputas curam, ne ma-
nibus aut dona aut vitia palpentur, quas
non protendis nisi dum vel crimina pæ-
nas merentur, vel pupillorum mærores
levari petunt. Quoties reorum vult re-
spici potentia, flectis oculos ad legum ta-
bulas in quibus minima diligentissimè
observans puncta, maximam Areopa-
go comparas observantiam, Tuæ vero
gloriæ nullum præfigis punctum. Hinc*

ad Tui conspectum etiam curules nutant, Purpuræ pallent, erubescunt dignitates, cum in illum se incidisse advertant Judicem, qui ab omni respectu aversus, nec gratijs emollitur, nec terroribus consternatur, nec nominum reverentiâ movetur, nihil decidit absq; veritatis consilio, nihil probat quod cælum improbet, ut melius partium discordias componat, totus cum rationis & statutorum rectitudine vivit concordissimus. Scribentur hæc inter annales sub Tuo regimine Sanctiorem evasisse Justitiam; lachrymarum exaruisse flumina, curiā deniq; non Gratijs sed Themidi à Te fuisse consecratam; & onerabis ingentibus exemplis Honoris Tui Successores, quoties ab illis sive in examinandis causis prudentiam; sive in decidendis sententijs justitiam, sive in tutandis injurijs dexteritatem & parem clementiam posteritas extorquebit. Redibis in memoriam sæculorum sæpius, cum similes Tibi desiderabuntur ad Scipionem, æquales ad Senatorios murices poscentur; ad

904 *libertatis tractanda munia pares eligentur. Conscribet Mars copias? quæret ad Tuæ animositatis exempla viros quibus castra impleat, barbarorum terras invadat, triumpho nobilis in Patriam redeat: providebit Consus salvandæ publicæ saluti remedia? Tuæ eruditionis monumenta pro imitatione proponet, ut Senatus authoritatem, Majestas fidelitatem, Libertas integram possideat immunitatem: ampliando numinis honori insudabit Religio? Tui zeli inextinctus ardor illi prælucebit; & ponet eversis delubris, Divis aras; dejectis ambitionis turribus eriget templa, extinctis scelerum ignibus, votivas superis accendet faces. Nihil namq; in immortalibus Tuis rectefactis exhibes quod pro perfectissima virtutum idæa, futuris ætatibus non valeat conservari; Palatinam tantùm Tuam si evolvamus purpuram quæ meritorum prodigia non rapient calamum? non suspendent admiratione ingenium? quis gestorum splendor Atticas non illustrabit noctes? non vincet*

Arpi-

Arpinatum lumina? quis sudorum oceanus Tullianos non superabit fontes; oratorum non absorbebit fluiditatem. Videmus indefessum in exantlandis cõmunis boni negotiis animum; miramur inter tot tempestates intaminatum erga thronum candorem; occurrit nobis jam sago in arena succinctus, jam togâ in Senatu gravis amor Patriæ, ibi valla & fossas hostium transiliens, hic tumultus & Civium dissidia sedans, ubiq; pari virtute; dispari officio, tam armorum quàm animorum componens bella. Non solus laticlavium imples, ut pleriq; quos vultus tantum & corporis magnitudo Catones ostendit; eodem Tecum subsellio resident augustæ ingenij dotes ardens pro libertate zelus, salva semper & integra Poloniæ fides; circumstant numerosa meritorum satellitia frequentes publicarum calamitatum turbæ, deprimendæ hostilitatis, erigendæ Patriæ sequuntur Te prudentissima in curiam consilia; egredienti vero assistunt vividior jam Patriæ salus Tuæ sapi-

entiæ antidotis ſanitati reſtituta, opulentior communis fortuna, Tuæ activitatis opibus ditata, comitantur Te deterſis lachrymis ſolatia abjectis armis quieta prælia; exuto ſago pulchriore habitu ornata pax, plenis caſtris publicæ felicitatis præcedunt auguria, ut nemini de ſuo bono nō conſtet, quoties Te audit publicis conſilijs intereſſe, nemo de meliori nō deſperet ſucceſſu quoties Te illis percipit non interceſſiſſe; tamq; longe diſtamus ſemper à fortuna quàm Tu a munijs Lechiæ obeundis. Si tamen aliquando illis defuiſſe dicendus es? ſubtrahis Te privatis ut dones communibus negotijs, ibi totus ubi ſalutis publicæ librantur momenta, avertis ipſius fata, Tuæ periculis vitæ, utq; ſinguli quieſcamus, Tu ſingulariter laboras, nihil ratus ad memoriam diuturnius, quàm proprijs incommodis, Patriæ commoda providere, ne ægra fatiſcat, etiam caſibus ſuſtentare, illoſq; tantùm faſtis inſcribi annos, quos nobis ademimus, ut univerſorum ſervandæ ſaluti contribuamus.

mus. Et hac virtutis Tuæ admiratione minus mihi videreris dignus, si illo aureo sæculo talis fuisses, quo abjecta probitas non jacuit, habuerunt merita pretium; crimina supplicium, sedebat Curulibus fides; exul errabat simulatio, eminebat inter magnates sinceritas, depressi & exanimes calcabantur doli, quo nemo non melior, nemo non fidelior evadere contendebat; postquam verò ardere dissidia, extingui amoris Patrij facem, multos ambitionis abreptos violentiâ libertatis curam reliquisse videmus & deploramus, quàm magnum est Te fideliter legibus invigilare, illarum securitati prospicere & sine æmulo, sine exemplo certare, ne ulli minor zelo, prudentiâ & dexteritate inveniaris. Nec purpuram beneficio fortunæ debes, verùm Tuis rectefactis; hæc Tibi illam contexuerunt, ipsorum iste labor est, non Tyrùs at sudores Tibi muricem tinxerunt. Probasti virtutem Tuam minoribus priùs Patriæ obsequijs, ne gratis Honorem Tibi contulisse putaretur.

*Non processisti ad dignitatem more eo-
rum, qui antequam mereantur, præ-
mia extorquent fascium, ridendi sane;
coronam petunt, & non offerunt coro-
nanda. Tu ingentibus ad laticlavium
meritis stravisti viam, quò gloriosiùs pro-
cederes, clarèq; ostenderes non à Te pur-
puram sed Te à purpura desideratum.
Vexillo Mariæburgensis Palatinatus
insignis, sub Tuis signis numerasti vi-
ctorias; nunquam illa attollens quin
spem Poloniæ erigeres, dubiumq; reli-
quisti, plùs ne ingenij in consilijs an fer-
ri in bellis acie valuisses. Senserunt ge-
stari se à Te aquilæ & simul erudiri
quàm promptè illis esset volandum quo-
ties vota Lechiæ invitarent. Gravius
ejusmodi labarum in Tuis fuit manibus
quàm ut levioribus in diuersa rape-
retur ventis, imò turbulentis sæpius
firmitate sua illudens Æolis, me-
ruit plausus & triumphos. Fugisti
semper Protheos, qui cum mille for-
mas induant, formam Reipublicæ &
sui nominis deturpant. Vidisti sectas nõ*

seque-

ſequebaris, militare neſcius niſi pro honore legum & majeſtatis. Exhorruit in nonnullorum ſignis Polonia, jam Leonis in ſuas neces armati, jam Draconis veneno liveſcentis effigiem, in Tuis nulla ſpectabatur præterquam libertatis facies, ad cujus propugnandam integritatem ut plurimos animares, ſimillimam deploranti funera Civium & fragmenta tabularum colligenti non ſine gemitu; exhibebas. Merebaris tunc jam prima in Regno ſubſellia; contentus nihilominus Cancellariæ ceris, quas illis virtutum ſpecies non impreſſiſti? quæ gloriæ Tuæ ibi non conſcripſiſti privilegia. Nullum à calamo Tuo profluxit jota, quod altioris non eſſet apex faſtigij; nulla emanavit nota, quæ famæ Tuæ punctum non attingeret. Tuæ debentur pennæ tot characteribus dignitatum inſigniti; Tu namq́; vacuas implebas curules; reddebas Inſulis Præſules, Duces clavis, Magnates purpuris, Mareſchalcos ſcipionibus, Cancellarios annulis; & qvoties novo ſupplen-

dus esset Capite honor, Manus Tua intercessit. Imprimebas sigillum sine ullius oppressione, sub Gemma Tua nulla gemuit calamitas, nulla virtus non pretiosior evasit, in tantaq; nogotiorum circumstantium Te frequentia, nemini inaccessus; patuisti precibus ut templum, refugijs ut Asylum, inveniebant jam parata omnes antequam postularent; recedebant cum certitudine Tui favoris, qui cum diffidentia venerant, confusi intra se ubi majora experirentur, quàm sibi audebant polliceri. Insumebas obsequijs publicis noctes; tantò illustrior inter illas umbras, nullisq; defuisti curis nisi prius ipsæ Tibi defuissent, in hoc maximè sollicitus ut unumquemq; sua sollicitudine liberares; huic operosissimè vacans ne unquam ab impendenda Tua Patriæ opera vacares. Non colligimus profusos in tam difficillimo munere Tuos sudores, latius exundarunt quàm ut oratorijs capiantur marginibus, imò & manum de pagina amovemus; cum Mareschalcalem Tuum scipionem tot

Illustrissimorum Judicum sequantur Nomina, quibus cum submississima non occurrere veneratione, & nostra humanitas, & illorum majestas prohibet.

Ex Palat: Posnan: Ill: D. Nicol: Skoroszeski Vice Maresch: Stemma Abdank.

Tres antiquitati Gratias orbis,
Vestræ Domui mille debet Polonia,
quas ferri an auri pretio faciliùs comparetis
Themidi relinquimus decidendum.
Loquitur Patritia Litera
ILLUSTRISSIMOS SKOROSZESCIOS
tam ferri in hostes liberales, quàm auri in Patriā profusos!
Danàé libertas captivatur!
Joves aureos experitur.
Trhacia funera meditatur Lechiæ?
incidit in Feretrios.
Discite posteri! eandem esse gloriæ vitam
& hosti tumulum fodere, & Patriam tumulo effodere.
Curiam impleverunt laureis;
Senatum ampliarunt curulibus,
Legum tabulas inscripserunt Virtutibus,
ad sui oblivionem ubiq; boni publici memores,
Dum sudores pro regno seminant, Regum amores colligunt.
TRES CORONÆ
JOANNIS CASIMIRI, MICHAELIS &
JOANNIS III.
Unam dexteritatis & prudentiæ gemmam
in Vladislao Michaele SKOROSZESCIO,
Suspexerunt quòd sincerum, æstimarunt quòd rarum,
amaverunt quòd gloriosum.
VEXILLIFER POSNANIENSIS
quò signa protulit, retulit victorias.
Triumphalis Czarneccii Argo fortunam Poloniæ vehēs
ut ve:

912 ut velocius adversos Balthidis superaret fluctus,
Ille palmare labarum pro velis ministravit.
Cum totus uni viveret Patriæ,
ne totus exspiraret, se Tibi inspiravit.
Succedis in honores Vexillifer Wschoviensis
tantò nobilior quòd virtutibus propriis illos antecedas.
Magnum à Majoribus accepisti animum,
Non minoribus Patriæ sedandis procellis provisus.
Quoties fata climacteres Poloniæ scribunt
Vestra Litera nota est fortunæ melioris.
Legatus nuper ad Comitia Regni Varsaviensia
egisti Tullium pro Domo pacis. (vissent.
Cõsedissent bella; si Tuis animi civiũ consilijs conquie-
VICE MARESCHALCUS TRIBUNALIS REGNI
Primus innocentiæ Tutor;
formas decreta legibus non difformia.
Litera Tua nunquam iniquitati subscribens
Scribetur inter annales.
Nec hic assentationis stylus,
Colores ut tua virtus, ita nostra panegyris non amat:
minora nos dixisse quàm merearis,
Ex Palat: Posnan: Ill: D. Alexan: Złotnicki.
Illustrissimi Alexandri ZŁOTNICKI
testis est PRAWDZIC.
At erravimus, Judex est;
Opressæ innocentiæ vindicator,
assurgentium vindex criminum:
Hoc ipso aureus, id est Tibi domesticus,
quod ferrum Justitiæ noris tractare.
Vigil supra Themidis mænia Tuus Leo
pupillam non claudit, ut vitijs oculos aperiat.
Circulare exhibet speculum,
in quo Pulcheriæ se comant virtutes,
Turpiliorum scelera maculas erubescant.
A Tribuno discit
propugnaculorum esse propugnaculum.
Orbis hic, sertum Patriæ;
illo

913

illo ornatur, triumphis desponsanda.
Cum centrum sit gloriæ,
non tantùm supra muros, supra laudes quoq; eminet.
Imparem se illis fatetur Mercurius noster,
Superfluum ratus aureos exornare Złotniccios
Ternis avocatur Tubis
ILLVSTRISSIMI MICHAELIS JORDAN
PALATINI BRACŁAVIENSIS
laboribus in acie, honoribus in curia, gloria in orbe
vocalissimis.
Quid sonent quæris? Nomina & facta.
Quoties Gradivus difflare voluit hostes ex acie,
istas inflavit.
Venêre vocati triumphi, Asiatici canes recessêre
Audiit & honor illarum clangores.
Primatiales Cruces, Præsuleos scipiones,
Senatorios murices, Regni Claves,
in Domum comportavit,
gloria per orbem circumtulit.
Nunquam lætior Polonia, quàm ad earum plausus:
dum canunt hosti funera, saliunt victoriæ.
Adeo minor esset gloriæ fortunæq; Polonus Vistula,
nisi Jordane augeretur.
Auxisti & Tu Senatum laticlavijs,
sed magis meritis;
ornas enim potiùs, quàm ornaris ab illis
Illustrissime Excellentissime Domine.
Dibapha est Tua Purpura
quam Tyrus & Tyras tinxit,
ut simul sit & paci Toga, & Bellonæ sagum:
Tu major utroque;
tam ferri, quàm ingenij acumine Cæsar.
Vnus ipse totius Domûs elogium
elogia oratorum excedis.
Proinde Tibi assequendo impar calamus
ŁĘTOWSCIANAM sequitur SAGITTAM.

Ex Palatin: Cracov: Ill: D. Mich. Jordan Palati: Brac

Ill. Stanisl: Łętowski ex Palat. Cracov.

O2 Ne

Neq; hanc tamen aſſequi poteſt,
Metas enim gloriæ tranſgreſſa,
in ſuo tantùm circulo invenit centrum.
Hæmicyclus hic orbi par:
ambit decora, quæ uſquam inveniri poſſunt.
Si plures Stoicorum mundi ſtarent,
hinc ad bella heroes, ad conſilia ſapientes,
ad Tribunalia Licurgi,
conſcriberentur, peterentur, eligerentur.
Imo Tu unus omnibus ſufficis
JLLUSTRISSIME DOMINE;
in quo Juſtitia, Prudentia, Fortitudo,
theſauros ſuos depoſuerunt.
Ita Palatinatus Cracovienſis Theſaurarius
Theſaurus es Poloniæ.
Vileſcunt Tibi pretia noxas redimentia,
Veritatis tantùm valor æſtimatur.
Quòd nihil terreni manibus Tuis adhæreat
erectæ in cælum oſtendunt;
& quod ſidus ſequi debeat
Ex Palat: Caliſ. Ill: D Franciſ: Ponieńſki. GENTILITIA PONIENSCIORUM ARGO,
illis indicantibus diſcimus.
Polum ſpectat, ſpectanda polo exhibet.
Fluctus regit non à fluctibus regitur;
nec obſecundat ventis ſed imperat,
Per ſudorum & Sangvinis procellas,
ad portum boni publici enatat ſecuriſſima.
Optimum nacta Malum Marſchalcalem ſcipionem;
ad nullos impegit ſcopulos qvos nos frangeret.
Militares gladii pro remis illi ſerviunt;
his cœſus hoſtilis Neptunus cruore erubuit.
Nec coronâ indiget,
partis ſudore laureis redimita ornatior,
Roſtra tot numerat, qvot Cathedras Pontificias.
Nobilior hæc Memphitica Cleopatræ navi,
gemmis illa, iſta gemmeis heroibus ponderoſa.

Aure

Aureum libertatis vellus dum animosè asserit,
Cœlo inseri pridem digna.
Sed adhuc fluctibus Patriæ necessaria;
inter GAJEWSCIORVM radiet LVNAS. *Ex Palat: Calis: Ill: Francis: Gaiewski*
Noctibus præsunt, nulla die Poloniæ non prosunt.
Soles qvos numerat Lechia illustrarunt,
Decrescendo sibi, accrescunt bono publico.
Gladius illis intercessit Mavortius, ut faceret pleniluniū
Gloriæ, Honoris, & Fortunæ.
Adoravit eas Turcia depositis Capitibus
aliàs idololatra, híc tantùm religiosa.
Lucem, quam a sole Maiestatis recipiunt,
Podoliæ refundunt Phæbo.
Candore in Patriam albescentes serenant.
Jllæ Poloniæ, Tu illarum splendor
JllUSTRISSIME DOMINE.
Credimus placere Areopago noctes, sed non illunes.
Causarum Cimmeriæ, Vitiorum Vmbriæ
gemino sideris Tui oculo clariùs videntur.
Ad illarum splendorem
Oculatissimus Criminum accedis censor
JLLUSTRISSIME DOMINE *Ex Palat. Sirad: Ill: D: Stanisl: Rychłowski*
JUDEX PETRICOVIENSIS.
Fasciæ Tuæ nodus resolvit causas
qvas aliorum acumina nec attingunt, nec attentant.
Sub hoc velamine meliùs videt Justitia,
alias futura cæca, nisi Tuæ daret Fasciæ oculum:
Sicubi enim nascitur innocentia
hâc implicata explicatur.
Nexu isto ligata Crimina, sistunt cursum.
Virtus nunquam liberior qvam in his vinculis.
Jta sontes feris ut operias:
lachrymas nullas vides, qvas non abstergas:
Non tam inferre, quàm alligare vulnera assvetus.
Orbis Polonus Tuæ Sphæræ obligatus est.
quoties enim Caput Reipublicæ graviùs laboravit.

RYCHŁOWIANA medicante FASCIA convaluit.
Noverunt Te Comitiorum Sacraria,
in quibus sudores pro libertate sacrificasti,
& scissos Civium Animos colligasti:
ad nullas sensibilior iniurias, quam publicas.
Sive in Consiliorum, sive in Martis arena
idem es & Omnis Patriæ.
obscuros ratus annos quos Reipublicæ obsequio nõ illustrares.
Jta RYCHŁOWIJ sibi nasci ignorant
nisi toti vivant libertati,
& cum universale bonum Lechiæ ambiant,
Minimas quoq; Scholas Pias complectuntur:
Non ignari parvis etiam rivulis
Maxima augeri flumina.
Nec solùm Lunâ, stellis pariter noctes illuminari.
Hærebit æternũ in vinculis Tuæ gratiæ nostra gratitudo,
Cui una libertas sic illigari.
Vnde Tui quoq; Accipitris
ILLVSTRISSIME DOMINE
VENATOR VIELUNENSIS
Stringimus pedes, ut Tua vincula mereamur.
Grandioribus hic assvetus prædis
Aquilas amore, Leones armis venatur.
Summorum gestatus manibus
Nihil capit quod non sit Patriæ ad gustum.
AVGVSTO DENHOFFIVM CAPVT Sapit;
DENHOFFIVM CAPVT Tuæ prudentiæ sale cõditur.
Nec Alitem Tuam gravant soleæ ne ad soles evolet,
hoc ipso digna meridiem spectare gloriæ,
quod ferri fulgore delectetur.
Quocunque volat, auditur ex fama;
ex triumphali soleæ vestigio cognoscitur.
Nec alæ vobis desunt, nec ferrum
hoc graves in barbaros descenditis,
illis ad vota Patriæ volatis,
ubiq; famam promeriti.

Ex Terra Viel: Ill: D.Stanisl: Karsnicki.

Et

Et hæc eſt Martiæ Tuæ volucris indoles
& pennis Poloniæ applaudere & hoſtibus ſono æris pa-
Vnguibus cicatrices Trhaciæ infligere (rentare.
Soleâ veſtigia gloriæ exprimere.
Sublimis trophæo Crucis
publicæ ſecuritati proſpicit.
Annuit noſtræ veritati *Caput* Tuum
ILLVSTRISSIME DOMINE
VEXILLIFER ŁANCICIENSIS.
Veneramur illud; Jovis vertice divinius eſt:
cum & Minervam & Bellonam pariat.
tam ingenij quàm ferri acumine inſigne.
Id vero glorioſum, Caput eſſe vaginam gladij:
tunc chalybem arripere, cum ratio porrigit.
nám ex conſilio venam incidere, ſalutare:
acquirit valorem vilitas ferri, à prudentiæ pretio.
Proinde non miramur cataphractam veſtram manum
ultra Domum ſe extuliſſe cum gladio,
Toti namq; orbi Polono profuit,
quòd ſemper ingenio libraretur.
Nullus ex vobis Scævola
quia nullus in feriendo hoſte erravit.
Fidelitatem in conſilijs vel inde colligimus;
quod ita Capita illis impendatis Epheſtiones,
ut ora non indigeant annulis ſigillari.
Imò quomodo illos Domus veſtra habeat?
cum Tu unus
libertatem Lechiæ, Fortunam publicam, & Themidē
amori Patriæ ſubarrhaveris.
Jta ubi Tu ſphæram & metam gloriæ excedis
glorioſè geſtis,
Nos invenimus metam *Columnam*
JLLUSTRISSIMI DOMINI
CASTELLANIDÆ BRZEZINENSIS.
Ultra hanc nullus honor Hercules proceſſit.
in illa Joves, nomen ſtatoris invenerunt,

Ex Pal Łanc: Il D. Feli Grabſki.

Ex Pala:t Łanc: IllD. Franeiſc: Walewſki.

P2 Polo-

918

Poloniæ ſtatus quoties nutavit,
ab avita iſta baſi recepit firmitatem:
cæcus furor hoſtium nunquam adortus, niſi adoraret.
Vile ſaxum ne dixeris!
illuſtratæ illo purpuræ, ornatæ Infulæ clariùs radiarũt.
Aram potiùs marmoream crede!
Amori Patriæ, ſaluti publicæ, legum vindictæ conſecratã.
Non unam iſti victimam Thracia immolavit.
Quàm proficuus hic Poloniæ lapis!
ex quo templis altaria, victoriis coloſſi, libertati
propugnacula ſurrexerunt.
Reſcindit ſine mora barbaris colla Gradivus,
ſi mucro hac cote acuatur.
Salire quoq; hæc moles ſaxea novit,
Sed ad Martis tubas:
tot Lechiæ conſtruens Thebas, quot hoſtibus mænia diruit.
Oblivionem Tui Nominis non metue
JLLUSTRISSIME DOMINE,
in Patritio marmore Tua facta notat Polonia.
Spectaberis ſemper altior fatis in Gentilitio obeliſco.
Nos pondere triumphalis ſaxi fracti
Sub umbram DĄBSCIORUM ARBORIS deflectimus.
Matura hæc ſemper Operum & Honorum fructu
vel primo ætatis vere Autumnum agit gloriæ.
Ramus tamen illius exitialis colubris
qui livent veneno Poloniæ:
iſtos minimâ etiam ſui umbrâ enecat.
Dijs ſacra;
nec invidiâ temporum, nec fatorum inſolentiâ carpitur.
Quoties Religio Cathedris, Curia laticlaviis,
Gradivus clavis indigent, ex illa fabricantur.
Una omnibus ſervit,
tam paci oleis quam Bellonæ laureis aſſveta pullulare.
Regum quoq; frontes eius frondibus inumbrari amãt,
ut ab æſtu curarum protegantur.
Primis culta honoribus nunquam vota Patriæ eluſit.

Ex Palat: Breſt: Cuiaw: Ill: D: Andr: Dąbſki.

quàm

Quàm pretioſo gemmet fructu; doces,
JLLUSTRISSIME DOMINE
CAPITANEE NAKLENSIS.
cuius Virtutes, nihil non aureum Orbi exhibent.
Vidimus etiam inter ſcythicas hyemes non arentem
Tuam plantam,
dedit plumbeas glandes Aſiaticis apris,
quoties fami ſuæ aurea libertatis poma quæſierunt.
Fatidica hæc arbor,
fundit in Conſilijs oracula, & Aſtreæ votis reſpondebit.
ſecuta illius prudentiæ ramum Juſtitia,
ſpectabit florentis fortunæ Eliſios.
Nec vanum Veſtræ Dodonæ augurium; (perit.
en & Agnus ROSCISZEWSCIORVM felicitatis ver a-
Nunquam ſub hoc ſigno non floruit Lechia: *Ex Terra Dobr: Ill. D Franciſcus Roſciſzewſki*
Quidquid in culmum adolevit gloriæ,
reſeratori veris florem debet Arieti.
Meretur anni Princeps primam honoris lucem,
qui ut diem communis fortunæ protraheret,
noctes hoſtilitatis attenuavit.
Severa illius manſvetudo
Scythicas hyemes non timet ſed timetur;
ut enim illimem ſervaret Viſtulam,
Boryſthenem ſæpius turbavit.
Verúm non palmis tantùm in hoſtico paſcitur,
etiam domi oleæ pacis præſtant nutrimentum:
poſt furores barbarorum, Gratijs Regum fovetur.
Pro cornibus gerit Infulas
nec aliud pedum, quàm Pontificale ſequitur.
Candoris illius imago in Te ſpectatur
Illuſtriſſime Domine.
Nemo Te ſinceriùs ſuſcepit Patriæ obſequia,
nemo continuat perſeverantiùs.
Ponderas judiciorum ſtateram
ponderandâ à poſteris diligentiâ
Cauſarum momenta, quæ multos latent,

Q *momẽ*

920 *momento Tuus Agnus reserat.*
Celeritatem ejus oraculorum sequitur Ala Tua
ILLVSTRISSIME DOMINE
Ex Terra Sanoc: Ill. D. Adalbertus Łoś VEXILLIFER SANOCENSIS.
Sentit aliàs cadavera vultur,
hic à vitiorum sentitur cadaveribus:
ita namq; æstuanti metu succumbendi
præstat flabellum innocentiæ
ut noxæ flagellum exhorrescant.
Phæbum Te in iudiciis orbis admiratur;
idem est Tibi & aureos clementiæ radios
& justitiæ sagittas jaculari.
Obteris scelus soleâ, ne relinquat vestigium;
probitatem Cruce erigis, ut gloriosius triumphet.
Et hæc est vera Vexilliferi gloria
Sub signis numerare virtutes
de vitiis victorias reportare.
Auro ideo ponderandus ADALBERTVS;
quod & Te, & Tibi minùs aurum ponderet.
Tanto pretio magis æstimando
Leopoliensis & Sanocensis Terra collatis honoribus,
valorem adjecit.
Levis pagina Te non sustinet;
ex Palat. Rus. Ill. D. Ios: Cetner. & adhuc grandi CETNERORVM Nominis
centipondio oneratur.
Fractum Hastile frangit ingenia.
Sudavit vobis ornandis Honor,
minùs tamen purpuræ reddidit,
quàm vos pro Patria sanguinis effudistis.
Dexteritatem vestram inde æstimamus,
quòd confractâ ad Caucasum hostilis pectoris hastâ
integra trophæa referatis.
Sub signo Tuo nunquam venalis libertas
ILLVSTRISSIME DOMINE:
pro qua illi cadere, sublimis gloriæ status.
Vbicunque defixum,
in

in palmas Patriæ, hostibus in taxos pullulavit.
Quoties Mars Tuus generosâ excanduit irâ,
triumphales ex illo flammæ emicuerunt.
Tange feliciter gloriæ annulum!
inscribet Tuo labaro immortalitas,
Virtutes, quas unus omnes expressisti;
Famam, quam vocalibus rectefactis elinguasti;
Annos,quos hostibus adimēdo,saluti publicæ cōsecrasti.
Et si quidem immortalitas connotanda
Tua suscepit opera
Nos operam laudibus impendimus
ILLVSTRISSIMI DOMINI
MICHAELIS GORECKI, *Ex Terra Chełm: Ill: D. Mich: Gorecki.*
Non indiget Scholastico illustrari Phæbo
Suæ virtutis meridie clarissimus.
Nec humili potest attolli stylo (tissimus.
tam Nominis quàm Castri Chełmensis fastigio eleva-
Facta non fasti unumquemq; commendant.
Is maximus gloriæ gradus, quem nobis merita construũt.
Laude digna agere, non laudari palmare.
Tibi cùm domestica rectefacta,aliena nō quæris elogia,
tot nactus oratores, quot virtutes.
Proscribendo terris crimina,
Tuæ famæ monumenta scribis:
Soles face non indigent ut illustrentur.
Oceanus nullis fluminibus maior evadit.
Athomi montes non augent.
Gentilitia DomusTuæ *Ales* ad obsequia Patriæ velocior
qnàm nostra penna in ejus encomia.
Evolavit ultra oras terræ, & ora Tulliorum:
non exæquamus illius alarum remigium;
maximè cum Avitæ KRASNODĘBSCIORUM *Ex Palatin: Podlachiæ Ill: D. Casimirus Krasnodębski.*
soleæ vestigia Stylum post se evocant.
Hæc obterēdis criminib9,obfirmādis virtutib9 provisa:
quocunque graditur obvios habet plausus.
Arenam nullam pressit, quin hostem opprimeret.

922

Notavit campos quos barbari fugerent,
Patria æterna coleret gratitudine.
Inter Mæothicam uliginem nunqnam diu hæsit,
fulmina terrarumScythas ad palmam semper præcurrēs.
Tantum Poloniæ lucrum est Tuus KRZYWDA
ILLVSTRISSIME DOMINE!
Sed Tu ipse non minùs.
Ditior Lechia æstimandis Tuis meritis.
Errasse nulla consilia vidimus, Tuam secuta soleam,
Steterunt firmiùs publicæ spes, hâc solidatæ.
Difficultas lapidem obijcit?
aut transilit, aut si chalybe impingat,
elicit flammam Patriæ triumphalem.
Cruces amat, hostibus Crucis, hostis:
illos dùm calcat, hanc levat sublimiùs.
Multum suspicit vestra Numen vestigia,
quæ ut præmietur, tam nobili signo notari voluit.
Ita dum gloriosissima Domus Tua
ferro struthiones barbarorum animos ad mortem alit,
Nostræ eloquentiæ KARWOWSCIANVM POMVM
gustum proritat.
Aureum id Poloniæ, hostibus plumbeum
cui carpendo dum manum mittunt, amittunt.
Ferrea Gradivi mensa
nunquam Lechiæ sapuit sine his bellariis
Phenellæ malum crede;
nec hoc fatalibus Turciæ, sagittis caret. (servat.
ItaDomus vestra & Poloniæ solatia,& barbaris terrores
Pulchritudinem Virtutis vestræ agnoscimus,
cui tam pretiosum Dij munus cesserunt.
Palladem quoque illo non abjudicatis,
cum vobis commune sit & oraculis consilia,
& aras virtutibus illustrare.
Regum id gestamen,
Princeps nomen etiam Tuum reddit grauius
ILLVSTRISSIME DOMINE

Ex Palat: Podl: Ill: D. Casimir Karwowski.

Coro-

Coronam Tibi merita dederunt, Avitum Decus Pomũ,
nos supra fata imperium optamus.
Sed jam gustui Regum porrigit illud cicurata manus,
veloci in obsequia Patriæ Sagittæ stylo cõmendatum.
Proinde submissum potius adorationis
quàm orationis cultum
vertimus ad Avitum Domus Tuæ Agnum
ILLVSTRISSIME EXCELLENTISSIME DOMINE Ex Pal: Rav Ill: D. Hieron: Zaluski.
PALATINE RAVENSIS.
Quis enim non adoret? quẽ orbis Domini à corde habẽt,
Agnus hic Majestatis decus,
Senatûs Majestas, munimen libertatis:
Ornat Regum purpuras, quod coronandum;
protegit Regnorum salutem, quod sanctum,
fovet populorum securitatem, quod gloriosum.
Pectorum tutela, cordium delicium, amorum amor:
Lechici Zodiaci signum Princeps.
Meretur aras publicæ felicitatis victima,
in quibus tabulas Legum devotus appendit honor,
& Cancellarias Regni ceras accendit.
Imo qui toties Asiaticos lupos victimavit orco,
meruit in tot Præsulibus ZAŁUSCIIS bicornes Infulas;
ideo Pontifex, quia hostia boni publici:
Ita meretur omnia, qui de omnibus bene meretur,
& niveus in Reges ac Rempublicam candor dignus est,
ut Senatorio murice erubescat gloriosè.
Sed quid vobis è Tyro purpuras quærat Patria?
candor vestri Agni sibi murex est:
Purpuras quas exornatis gerendo
texuerunt merita, sanguis & sudor tinxerunt,
Regum gratia dedicavit.
Tua hæc, Tuorumq; domestica decora
ILLVSTRISSIME DOMINE,
quæ nos cum toto orbe admiramur.
Candor Tuus in Patriam auro scribendus, non sæpiâ.
Istud porro virtutis Tuæ miraculum est:

quod graviſſimus Senator, nec gravas nec gravaris;
Curas Patriæ attollis, dum tollis
nullus Tibi occurrit, cui non occurras
natus publicis, mortuus privatis commodis
ut in bonos Agni clementiam,
ita in hoſtes leonis iras induis.
Quin & vidimus Agno Tuo duce, leones triumphatos.
Et Polonis ceſſit ad gloriam Aquilis
quoties ab illo in arenam præcedebantur.
Sequitur illum & in hac judiciorum acie
Ex Pal: Rav: Ill. D. Samuel Bratoſſewſki. AQVILA BRATOSZEWSCIANA
tantò glorioſior, quantò bellico pulvere deformior,
Candidatorum hæc una ceruſſa eſt atror Martius:
amat honor Fulgentios à fuligine bellica:
& quos Mæothica palus denigravit, exornavit.
Armorum Jovis hæc Ales,
non tam miniſtra quam præfecta.
Quàm prope fulminatorem Jovem acceſſerit,
hinc colligimus
quòd pennas in carbonem deſinere pro gloria habuerit.
Timete vobis Gigantes orientis!
Media hæc Aquila; totum vobis funus apparat.
Cimeliis ornatam videtis? veſtra ſpolia ſunt;
quibus illa pretioſior Regni gazas inter conditur.
Infers Tecum hoc ornamentum Aſtreæ,
ILLUSTRISSIME DOMINE NOTARIE GOSTINENSIS.
Pēnas habes quibus proſcribas vitia, ſubſcribas probitati
nec præponderant apud Te gemmæ potentum
gemitui pauperum,
qui Avitis dives es decoribus,
ipſe gemma Judicum, & Judiciorum corona.
Ferrum Tu infers
Ex Pal: Margab: Ill. D. Paul: Iaroſſewſki. ILLUSTRIS: DOMINE VEXILLIFER PŁOCENSIS
Sed auro & gemmis pretioſius.
Tam diu enim orbis æſtimatione
altiores fuimus Poloni,
quam

quamdiu ferro contenti, auro imperia ditavimus.
Struthiones illi maiores nostri
gemmas Antoniis ad luxum
Sibi ferrum ad luctum hostium reliquerunt.
Nec Themis alio delectatur ornatu, quam Chalybis;
ideo comptior, quia comi non desiderat.
Perennat in Domo Tua tanta gloria ferri,
cujus capulum non aurum ornat, sed solea.
Veri hoc insigne equitis gladius soleatus.
Vestigium simul & vulnus infert;
Amoris in corde Civium, doloris in cervicibus hostiũ.
Volent aliorum gladij, Tuus incedit soleâ põderosior.
Quidni ergo in elogia Tua Hyppocrene saliat?
cum tibi idem sit manu,
quod soleâ Parnassum tangere.
Quamvis Tu ipse Tibi sufficis in elogia,
doctior Pallas Tua, dum Patriæ sudat in consiliis,
Themidem colit in judiciis;
dignius adorari non potest, quàm à Tua Musa.
Et jam Numina Lechiæ adoraverat Pietas nostra,
jam aris singulorum deposuerat anathemata paupertas.
cum Tu post òmnes inter primos accedis
ILLUSTR: DOMINE BURGRAVIE CRACOVIENSIS
Cùltũ Orationis Tibi nõ impẽdere crimen nostrũ esset, *Ex Distr: Oświeć Ill: D: Petr: Szembek.*
quibus quot SZEMBEKIJ tot faventia Numina.
tota Domus una Patrona;
Quem verò Principes *Celsissimi Primatis* mitræ,
quem Aquilæ Regni ILLVSTR: CANCELLARIJ,
quem virtus, & Oświecimensis Districtus vota.
inter primos locant,
postrema venerari submissione,
vitium est orationis.
Dabis tamen veniam non tam errori nostro
quam Tuæ modestiæ;
dum primum Te virtutis merito,
ultimum ad dignitatem Judicis accessione fecisti.

Quid peccat umbra!
Si non indicat solem, nisi præsens affulserit.
Nec ferrum magnetem, nec stipula sequitur electrum,
donec præsenti virtute rapiantur.
Et hæc erit prima Tuæ clementiæ materia
Crimen nostrum, & non nostrum.
Occultam enim potiùs providentiam
numinis veneramur
destinantis nos ad proprios Tuos honores.
Erit, quando modestiam Tuam honoribus
mactabit Patria,
tunc in venerationem Capita consecrabimus;
& crimen hoc,
profusis in encomia Tua sudoribus eluemus.

Et jam tot adoratis Numinibus, adhuc cultum debemus Majorum Tuorum Imaginibus ILLVSTRISSIME EXCELLENTISSIME DOMINE MARESCHALCE. Præmisimus illis Te Ipsum, ut facilius judicaretur, quanti fuissent, qui Te tantum successorem reliquerunt. Vixerunt omnes Tuæ gloriæ, Tu unùs omnium, tantò nobilius, quòd Patriæ obeundis munijs solus sufficias, quæ illi singuli obiverunt. Arserunt devotæ publico bono, amoris ignibus victimæ; sed Tu eorum corona; extenderunt cataphra-

ctam manum ultra orientem; sed Tu illorum palma, ornarunt aureis consiliis Curiam, sed Tu Procerum gemma pōdus ipsis auges & valorem. Quid enim de tot restaret Nominibus, nisi Tu viva Antecessorum historia, illos vixisse orbi Tuis operibus erudires. Quæ Capitolia triumphis impleverunt, quibus curulibus eminuerunt, quid pro Deo & libertate egerunt? non est necesse ut inquiramus, Te ad eorum cognitionem satis est vidisse. Quàm illis asper vultus contra vitia, quàm clemens erga virtutes; quàm gravis dextera in hostes, quā levis & liberalis in innocentes, quàm velox animus ad gratias, quàm tardus ad iras fuerit; ex Tuis moribus legimus, quorum ita concentrasti rectefacta, ut etiam de Tuis plura addidisses. Tam amplum Nomen Tuum, sub quo tot latent Aborigines & patent in Te, nec dedignantur minores esse, superati magnitudine gestorum, dummodo Majores Tui audiantur. Alios incuria Natura proijcit in terras; cum illis levan-

92

des, altiores non ſuppetant cunæ, deſcẽdunt in Avorum domos ſola vetuſtate & fuligine tectorum ſamoſas, veniunt in Paternas ædes; & excipiendis novis hoſpitibus non triumphales Anteceſſorũ occurrunt currus, nudos & ſine majorum imaginibus inveniunt parietes: Te naſcentem victores exceperunt Clypei, ſtravit infanti Bellona palmas, in faſciis reptanti ſervierunt faſces; lachrymas tergebant purpuræ: deprehendiſti ſtemmata in tholis, in monumentis nomina, obviabant ubiq; in arena cataphractæ, in Senatu togatæ, in templis Inſulatæ, Atavorum illuſtres Vmbræ, hilares tanto Nepote, hilarior Tu quòd inveniſſes quas clariùs illuſtrares. Adeò latepatentem Domus Tuæ ingreſſus es arenam ſed proprijs virtutibus feciſti ampliorem. Nullius in Te non ſpectantur lineamenta. Frontem tenet Magnanimitas, reſidet Capite major maximis reſolvendis negotiis Prudentia, in Ore jactat ſe Affabilitas, Dexteram prehendit Munificentia, in Pectore publicæ ſalu-

tis

tis amor regnat, totum deniq; corpus illo spiritu plenum, quo extincta Patria posset animari. Habet in Tuo Nomine firmissimam propugnaculi Petram Lechia; amant hic Regni nidificare Aquilæ, unde ad solem melioris fortunæ semper rectâ evolarunt. Habet in Patritio Leopardo excubias, nemo illo velociûs ad palmas excurrit, nemo fortiùs obsistit æmulis barbarorum viribus nullas fossas, nulla mœnia pro salute publica non transilit; nullibi sine plausu. Habet in Palatina Tua Curuli, fatigata bellis, fracta Martis Vulcaniâ libertas reclinatorium quietis & respirij; habet Iustitia in Mareschalcali scipione grande fulcrum; cujus in extincto zelo & in corrupta æquitate dum totum Areopagum sustentari videmus, etiam spes nostras illius singularissimo favore fulciendas non desperamus.